OFFICIVM
IMMACVLATÆ
CONCEPTIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS

Cum octaua ſub ritu Duplici ſecundæ Claſsis recitandum à Patribus Societatis IESV,

Iuſſu Sanctiſsimi D. N. D.

CLEMENTIS PAPÆ NONI.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Reuer. Cameræ Apoſtolicæ. M.DC.LXVII.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Digitized by Google

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

AVguſtiſſimæ, atque Glorioſiſſimæ Virginis Dei genitricis Mariæ cuius virtutem, & pulchritudinem Sol & Luna mirantur, natura obſtupeſcit, infernus contremiſcit, cultum, & venerationem in terris quanto poſſumus ſtudio promouere ſatagentes, pia fidelium, eorum præſertim, qui Altiſſimi obſequijs ſub ſuaui Religionis iugo mancipati, alijs ad opera pietatis exemplo prælucent, & ſalubri directione viam monſtrant, vota in idipſum tendentia libenter exaudimus, ac fauoribus, & gratijs proſequimur opportunis. Supplicationibus itaque dilecti filij Ioannis Pauli Oliuæ Præpoſiti Generalis Societatis IESV tam ſuo, quàm totius Societatis prædictæ nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, vt in eadem Societate ab omnibus illius Presbyteris, & Clericis Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Miſſa Conceptionis eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ cum octaua in poſterum de præcepto recitetur cum lectionibus in octauario Romano à Congregatione Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum approbato contentis, & à die octaua ad decimam quintã Decembris rite

diſpoſitis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium mandamus, & decernimus; Idemque Officium ad vſum dictæ Societatis ſeorſim ab octauario Romano imprimi poſſe concedimus. Non obſtañ Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici, vel Secretarij dictæ Societatis ſubſcriptis, & ſigillo memorati Præpoſiti Generalis, aut alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xvij. Septembris MDCLXVII. Pontificatus noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

Die

Digitized by Google

Die 8. Decembris

IN FESTO CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

Duplex ſecundæ Claſsis.

Omnia prout in Breuiario cum commem. feriæ & ſine commem. Octauæ S. Franciſci Xauerij etiam in 2. Veſp.

Die 9. Decembris.

Secunda die infra Octau.

Officium de Octaua dicitur vt in die feſti præter lectiones, quæ dicuntur vt infra aſſignatæ ſunt.

In primo Noct. *de ſcript. occur.*

℟. *vt in primo nocturno diei feſti.*

In ſecundo nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Lectio iv.*

EXultat Maria, & matrem ſe lætam miratur, & de Spiritu ſancto ſe peperiſſe gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum ſuo vtero circumdedit. Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virũ ſerpenti conſentiendo. O felix obedientia, ò inſignis gratia: quæ dum fidem humiliter dedit, Cœli in ſe opificem corporauit. Hinc promeruit gloriam, quam ipſe poſtmodum hauſit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. *Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine*

 Abra-

Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid: cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

℣. *Hodie concepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius. Lectio v.*

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. *Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominū Ieſum Chriſtum.*

℣. *Corde & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa. Lectio vi.*

SIt per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorùm eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuū iuuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.

℟. *Con-*

℟. *Conceptio tua Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.*

℣. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui ſoluens.*

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij.

LIber generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, Filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. comment. in Matth. in initio.

IN Iſaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? non ergo putemus Euãgeliſtam Prophetæ eſſe contrarium; vt quod ille impoſſibile dixit affatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione eſt dictum. A carnalibus autem cœpit, vt per hominem Deum diſcere incipiamus. Filij Dauid, Filij Abraham. Ordo præpoſterus, ſed neceſſariò commutatus. Si enim primum poſuiſſet Abraham, & poſtea Dauid, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis ſeries texeretur.

℟. *Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

℣. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.*

Lectio viij.

IDeo autem ceteris prætermiſſis, horum filium nuncupauit, quia

ad hos tantùm facta eſt de Chriſto repromiſſio. Ad Abraham: In ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod eſt Chriſtus. Ad Dauid: de fructu venteris tui ponam ſnper ſedem tuam. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Saluatoris, nullam Sanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehēdit: vt, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabeæ vxor Vriæ.

℟. *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.*

℣. *Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Chriſtus.* *Lectio ix.*

IAcob autem genuit Ioſeph. Hunc locū obiecit nobis Iulianus Auguſtus diſſonātiæ Euāgeliſtarum, cur Euangeliſta Matthæus Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eū filium appellarit Heli: non intelligens conſuetudinē ſcripturarum, quòd alter ſecundùm naturam, alter ſecundùm legem ei pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſen, Deo iubente, præceptum, vt ſi frater, aut propinquus abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorē ad ſuſcitandum ſemen fratris, vel propinqui ſui. Ioſeph virum Mariæ. Cùm virum audieris, ſuſpicio tibi nomen ſubeat nuptiarum: ſed recordare cōſuetudinis ſcri-

ſcripturarum, quòd ſpōſi viri, & ſponſæ vocentur vxores.

Te Deum làudamus.

In laudibus ſit commem. Octau. S. Franciſci Xauerij *& feriæ. Veſperæ de die octaua S. Franciſci* Xauerij, *vt in primis Veſperis diei feſti cum commem. Octau. Conceptionis, feriæ, & S. Melchiadis Papæ, & Martyris.*

Die 10. Decembris.

Tertia die infra octau. Conceptionis.

Fit officium de die octaua S. Franciſci Xauerij, *omnia vt in die illius feſti, præter lectiones.*

In primo Nocturno. *de feria occurr. & ℟. vt in primo nocturno communis Confeſſ. non Pontificis.*

In ij. Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abb.

Serm. 2. de S. Vict.

Lectio iv.

GAudete in Domino, dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit hominem mundo, cuius multi ſaluarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quòd factus de medio appropiauit Deo, vt multò plures eius interceſſione ſaluentur: in terris viſus eſt, vt eſſet exemplo; in Cœlum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Hic informat ad vitam, illìc inuitat ad gloriam: factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi iam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum: Quid enim quærat ſibi, qui nullius eget?

℟. *Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & dedit illi claritatem æternam.*

℣. *Iuſtum deduxit Domi-*

nus

nus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

HÆc dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus, & lætemur in ea. Introiuit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior eſt ad ſaluandum. Hodie Franciſcus poſito corpore, tantò alacrior, quantò expeditior penetrauit in ſancta, ſimilis factus in gloria Sanctorum. Hodie deſpecto mundo, & mundi principe triumphato, ſupra mundum victor aſcẽdit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Aſcẽdit autem cum immenſa ſupellectili meritòrum, clarus triumphis, miraculis glorioſus: ſedet veteranus miles, debita iam ſuauitate, & ſecuritate quietus: ſecurus quidem ſibi, ſed noſtri ſolicitus. O venerandã etiam ipſis Angelis ſanctitatem, quam pari ſtudio, & ſi diſpari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni: nec facilè dixerim, quid virum aſtruat Sanctiorem, horum fauor, aut pauor illorum.

℞. *Amauit eum Dominus, & ornauit eũ: ſtolam gloriæ induit eum: & ad portas Paradiſi coronauit eũ.* ℣. *Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.*

Lectio vi.

O Miles emerite, qui Chriſtianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutaſti, reſpice ad imbelles, & imbecilles commilitones tuos qui inter hoſtiles gladios, & ſpiritales nequitias tuis laudibus occupamur. Quàm pium, quàm dulce, quàm ſuaue, ò Franciſce in hoc loco affli-

ctio-

ctionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari. Nomen tuum, & memoriale tuum fauus diſtillans in labijs captiuorum: mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo, fortis athleta, dulcis patrone, aduocate fidelis, exurge in adiutorium nobis: vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris.

℟. *Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus,* & *dixit ad eum. Ingredere in requiem meã: Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus.*

℣. *Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Quia te. Gloria. Quia te.*

In iij. Nocturno.

Sequentia ſancti Euãgelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentij Epiſcopi.

Ex Serm. de Confeſſ.

SI iſtum Domini ſermonem ſecundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi ſpiritualis poſſumus inuenire: Quid enim proficit ad animæ ſalutem, ſi aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? in lumbis itaquè concupiſcentia carnalis oſtenditur: in lucernis verò fides, & caritas chriſtiana monſtratur. Iubens igitur Dominus lumbos noſtros præcingi; concupiſcentias carnis ſine dubio præcipit refrænari. Imperans autem, vt lucernas ardẽtes habeamus; hoc vtique iubet, vt & lumine veræ fidei ſplendeamus, & ſanctæ

ca-

caritatis operibus ferueamus.

℟. *Iſte & qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, eſt de omni corde ſuo laudauit Dominum: Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.*

℣. *Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinēs ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.*

Lectio vij.

ISta, quæ de Euangelio propoſuimus, cū propheticis ſermonibus conferamus. Vtrumque enim teſtamentum Deus inſtituit, vnus Dominus dedit: etſi ſunt vtriuſq; teſtamenti diuerſa pro temporibus ſacramenta: cōcordat tamen in vtroque ſalutis humanę ſententia, qua præcipitur, vt non peccemus, & iubetur, vt bonis operibus inſiſtamus. Per Iſaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationū veſtrarum ab oculis meis: quieſcite peruersè agere: diſcite benefacere. Quid eſt enim: ſint lumbi veſtri præcincti, niſi quieſcite agere peruersè? Quideſt: ſint lucernæ ardentes, niſi diſcite benefacere?

℟. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuū quando reuertatur à nuptijs.*

℣. *Vigilate ergo: quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos. Gloria. Et vos.*

Lectio ix.

PRæcinguntur enim fidelium lumbi, dū concupiſcentia mala cōprimitur: dum iniqua cogitatio cohibetur: dū libidini reſiſtit animus: dum laſciuiæ denegatur affectus: dum calcatur luxuria: dum auaritia con-

contemnitur, & rapina; dum proximi læſio euitatur: dum ſuperbia vincitur: dum inuidia ſuperatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam ſeruant: dum in ſinu matris Eccleſiæ longanimiter perſeuerant: dum terrena contemnunt, & cœleſtia concupiſcunt: dum ſoliciti pacem cuſtodiunt: dum ſe inuicẽ purè diligunt: dum mutuo ſe honore prçueniũt: dum manſuetudine cordis, & humilitate proficiunt: dum miſericordiç opera libenter, atque hilariter faciunt: dumque in operibus bonis, non hominibus, ſed Deo placere contendunt.

Te Deum.

In laudibus fiunt Cõmem. Octau. Conceptionis, feriæ, & S. Melchiadis. In 2. Veſper. quæ erunt de Octaua S. Franciſci, fiunt Commem. S. Damaſi, Octauæ Conceptionis, & feriæ.

Die 11. Decembris.

Quarta die infra Octau.

Fit de S. Damaſo Papa, & Confeſſ. cum Commem. Octauæ Conceptionis, & feriæ, in 2. Veſp. à capit. de Octaua cum Commemorat. S. Damaſi, & feriæ.

Die 12. Decembris

Quinta die infra octau. Conceptionis.

In primo Nocturno. *de ſcriptura occurrenti.*

℟. *Vt in primo Nocturno diei feſti.*

In ij. Nocturno.

Ex lib. S. Epiphanij Epiſcopi aduerſus hæreſes.

Lectio iv.

Beata Mater Dei Maria per Euam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur. Illa etenim mater viuentium vocata eſt, etiam poſtquam audiuit: Terra es, & in terram reuerteris, poſt tranſgreſſionem. Et mirum eſt, quòd poſt tranſ-

tranſgreſſionem hoc magnū cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem ſenſibilem ab illa Eua omnis hominum generatio deducta eſt in terra: hìc autem verè à Maria, hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria Mater viuentium. Per ænigma igitur Maria mater viuentium appellata eſt.

℟. *Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda clara ex ſtirpe Dauid: cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.*

℣. *Hodie concepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius.*

Lectio v.

EVæ datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ verò datum eſt à Deo, vt pareret nobis Agnum, & ex gloria ipſius Agni fieret nobis velut à vellere ſapientiæ per virtutem ipſius indumentum incorruptibilitatis. Eua etiam mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipsā enim mors ingreſſa eſt in mundum: Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundum: & vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia: & vnde illata eſt mors, illinc proceſſit & vita, vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eua, cùm adhuc eſſet Virgo, per inobediētiam tranſgreſſa eſt: è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta eſt, annunciato aduentu in carne de Cœlo, & vita æterna.

℟. *Cum iucunditate Conceptio-*

ceptionem beatæ Mariæ celebremus: vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominũ Ieſum Chriſtum.

℣. *Corde, & animo Chriſto canamus gloriã in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa.*

Lectio vi.

DE Maria enim accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod ſcriptum eſt de Eccleſia: Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sanctus autem Apoſtolus dicit: Myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et vide ſcripturarum accuratam dicendi proprietatem. quòd de Adam quidem dixit, formauit: de Eua verò non formatam eſſe, ſed ædificatam. Accepit enim, inquit vnam de coſtis eius, & ædificauit ipſi in vxorem. Quò oſtendat, Dominũ quidem de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus, ab ipſa verò coſta ædificatam eſſe Eccleſiam, in eo quòd punctũ & apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ, pretia redemptionis facta ſunt.

℟. *Conceptio tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.*

℣. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui ſoluens.*

In iij. Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid

uid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia Sancti Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 1. in Matth. poſt init.

AVditu quidem mirabile eſt, quòd ineffabilis Deus, & qui nec ſermonibus explicari poteſt, nec cogitationibus comprehendi, Patrique per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit vterum, & fieri ex muliere dignatus eſt, & habere progenitores Dauid, & Abraham: & quid dico, Dauid, & Abraham, etiam illas, quod magis ſtupendum eſt, fœminas, quas paulò ante memoraui. Hæc igitur audiens mente conſurge, nihilque humile ſuſpiceris, ſed potius propter hoc ipſum maximè mirare, quia cum verus, & dilectus filius ſit ſempiterni Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt, modò vt te filiũ faceret Dei: ſeruum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo Patrem faceret ipſum Deum.

℟. *Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

℣. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.*

Lectio viij.

VIdes ab ipſo ſtatim principio, quàm læta ſint hæc nuntia. Quòd ſi ambigis de his, quæ ad tuum ſpectant honorem, ab ijs, quæ illius ſunt, etiam tua diſce credere. Quantum enim cõſequi poteſt humana ratio, multo eſt difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filium conſecrari. Cùm ergo audieris, quia Filius Dei, Filius ſit, & Dauid, & Abra-

brahæ; dubitare iam deſine, quòd & tu, qui filius es Adæ, futurus ſis filius Dei. Non enim ſemetipsũ ita humiliaſſet, niſi nos eſſet exaltaturus. Natus eſt enim ſecundum carnem, vt tu naſcerere ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.

℞. *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol Iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.*

℣. *Ora pro populo interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Chriſtus.*

Lectio ix.

PRopterea duplex facta generatio eſt, hæc ſcilicet noſtræ ſimilis, illa noſtram eminẽter excedẽs. Quòd enim natus ex fœmina eſt, & nobis competit: Quòd verò non ex voluntate carnis, & viri, ſed ex Spiritu ſancto, aliam nobis ſublimiorem, futuramque & ſpiritui conſequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex ſimili diuerſitate conſtabant. Nam & baptiſma profecto tale ſuſcepit, quod quidem aliquid veteris, haberet, & noui. Quòd enim baptizatus eſt à Propheta, expreſſit vetus: Quòd autem deſcẽdit Spiritus, adumbrauit nouum.

Te Deum laudamus.

In laudibus fit commem. feriæ. Veſperæ de S. Lucia Virg. & Mart. cum commem. Octau. Concept. & feria.

Die 13. Decembr.

Sexta die infra Octau.

Fit de S. Lucia Virg. & Mart. commem. Oct. Concept. & feria in laudibus & in Veſp.

Die 14. Decemb.

Septima die infra Octau.

In primo Nocturno. *leguntur lectiones de ſcript. occurr.*

℞. *Vt in primo Noctur. diei feſti. Si autem hac die occurrat feria quarta quatuor temp. Lect. 1. Noct. vt in die feſti, & 9. Lect. de Homil. feriæ cum illius commem. in laudibus.*

In ij. Nocturno.

Ex Epiſtola S. Ambroſij Epiſcopi ad Siriciũ Papã.

Epiſt 81, al 7.

Lectio iv.

DE via peruerſitatis produntur dicere: Virgo concepit, ſed nõ Virgo generauit. Potuit ergo Virgo concipere, non potuit Virgo generare, cùm ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur? Sed ſi doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum. Credatur ſymbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet iſtud? non de fide generationis interrogans, reſpondit poſtea: Ecce Ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuũ.

℞. *Conceptio glorioſa Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid: cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.*

℣. *Hodie concepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius.*

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri aduerſus Iouinianum.

De Apologia ad Pammachium pro lib. aduerſus Iouinianum in fin.

Lectio v.

CHriſtus Virgo, Mater Virginis noſtri Virgo perpetua, Mater, &

& Virgo. Ieſus enim clauſis ingreſſus eſt oſtijs:& in ſepulchro eius, quod nouum,& in petra duriſſima fuerat exciſũ, nec antea quis, nec poſtea poſitus eſt. Hortus concluſus,fons ſignatus: de quo fonte ille fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem,vel funium, vel ſpinarum: funium peccatorum, quibus ante alligabamur: ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patris familias. Hęc eſt porta Oriẽtalis, vt ait Ezechiel, ſẽper clauſa, & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens ſancta Sanctorum, per quam ſol iuſtitiæ, & Pontifex noſter ſecũdum ordinem Melchiſedech ingreditur, & egreditur.

℞. *Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: Vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.*

℣. *Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate precelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa.*

Ex libro S. Irenæi Epiſc. & Martyr. aduerſus hæreſes.

Lib. 5. cap. 19.

Lectio vi.

IN ſua propria veniente Domino, & ſua propria eum baiulãte conditione,quæ baiulatur ab ipſo, & recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam, quæ in ligno eſt, obedientiam faciente, & ſeductione illa ſoluta,qua ſeducta eſt malè illa, quæ iam viro deſtinata erat virgo Eua; per veritatem euangelizata eſt bene ab Angelo iam ſub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum ſermonem ſeducta eſt,vt

effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deũ, obediens eius verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morte genus humanum per Virginẽ, ſoluatur per Virginem; ęqua lance diſpoſita virginalis inobediẽtia, per virginalem obediẽtiam.

℞. *Conceptio tua Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.*

℣. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui ſoluens.*

In iij. Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autẽ genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

CVius verò rei gratia librum ipſum generationis Chriſti vocat, vbi non ſola vtique generatio, ſed tota prorſus ipſius Myſterij diſpẽſatio continetur? quia totius ſcilicet diſpenſationis caput, radix, atque principium omnium nobis in hoc conſiſtit bonorum. Vt enim Moyſes librum Cœli appellauit, ac terræ, cùm certè non de Cœlo ſolùm, terraque loqueretur, ſed

de

de cunctis, quæ inter ipſa ſubſiſtunt: ità etiam Euangeliſta ab ipſo omnium fonte, & capite bonorum librum vocauit.

℟. *Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

℣. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.*

Lectio viij.

QVa verò de cauſa non eum ante, filium Abrahæ, & poſtea filium Dauid nũcupauit? Non, ſicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad ſuperiora conſcendere: cæterum feciſſet, quod fecit & Lucas; nunc autem è contrario facit: cur ergo cõmemorauit priorem Dauid? Quia ipſe procul dubio in omniũ vocabatur ore, ob inſigne honoris, & gloriæ, ob ipſius quoque temporis ſpatia iunctiora. Et ſi enim vtrique promiſerat Deus, ſed tamen illud quaſi antiquum reticebatur, hoc verò quaſi nouũ, & recens ab omnibus celebrabatur.

℟. *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.*

℣. *Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Chriſtus.*

Lectio ix.

IPſi namque Iudæi dicunt: nonne ex ſemine Dauid, & Bethleem caſtello, vnde erat Dauid, venit Chriſtus? nemo igitur illum filium Abrahæ, ſed omnes filium Dauid nominabãt; qui etiam honorabilio-

res quoſque de ſanctitate Reges, qui poſt Dauid fuiſſe referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipſi solùm, verùm etiam Deus. Nàm & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt, Dauid ſurrecturum eſſe, atq; venturũ: non de illo vtiq; mortuo iam loquẽtes; ſed de ijs, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore perſona ſumit exordium; & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem.

Te Deum laudamus.

In laudibus comm. feriæ. Ad Veſperas duplex: omnia, vt in primis Veſper. diei feſti: tum commem. feriæ, & S. Euſebij.

Die 15. Decembr.

In die octau. Conceptionis B. Mariæ.

In j. Noct. *de ſcript. occur.* ℞. *Vt in primo Noct. diei feſti. Si autem hac die octaua occurrat feria iv. quatuor temp. lect. 1. Noct. leguntur vt in die feſti; & 9. Lect. de Homil. feriæ, cum illius commemorat. in laudibus.*

In ij. Nocturno.

De expoſitione S. Gregorij Papæ in libros Regum.

In lib. 1. Reg. c. 1

Lectio iv.

FVit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Poteſt montis nomine beatiſſima ſemper Virgo Maria, Dei genitrix, deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinẽ, electionis ſuę dignitate trãſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ, vt conceptionẽ æterni Verbi pertingeret, meritorũ verticem ſupra omnes Angelorum Choros, vſque ad ſolium Deitatis erexit? Huius enim mõtis prçcellentiſſimam dignitatem Iſaias vatici-

nans

hans ait: Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes ſanctos refulſit.

℟. *Conceptio glorioſa Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid: cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.*

℣. *Hodiè concepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius.*

ExEpiſtola S. Leonis Papæ ad PulcheriamAuguſtam.

Epiſt. 13. ante med.

Lectio v.

SAcramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum, nullæ implebant figuræ: quia nondum ſuperuenerat Spiritus ſanctus in Virginem, nec virtus Altiſſimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viſcera ędificante ſibi ſapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſerui in vnam conueniente perſonam, creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim nouus homo, factus in ſimilitudinẽ carnis peccati, noſtram ſuſciperet vetuſtatem, & conſubſtantialis Patri cõſubſtantialis eſſe dignaretur & Matri, naturamque ſibi noſtram ſolus à peccato liber vniret; ſub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.

℟. *Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominũ Ieſum Chriſtum.*

℣. *Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præ-*

celſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa.

De expoſitione S.Baſilij Epiſcopi in Iſaiam Prophetam.

In c.8.poſt init.

Lectio vi.

ACceſſi, inquit, ad Prophetiſſam, & in vtero accepit, & peperit Filium. Quòd Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt, quid enim, ait? Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatē ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quòd ſi animum accomodaueris vniuerſis eius verbis, non vtique contentioſè negaueris, eam fuiſſe Prophetiſsā, quòd Domini ſpiritus in eam ſuperuenerit, & virtus Altiſſimi obumbrauerit ei.

℞. *Conceptio tua Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.*

℣. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui ſoluens.*

In iij. Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Duo

DVo ſunt, quæ pariunt quæſtionem, Vnum, quæ cauſa ſit, vt in generationum catalogo Virgo ſileatur; alterum verò qua ratione Ioſeph memoretur, qui certè nihil cum Chriſti generatione eſt commune. Videtur enim, & vnum abundare, & alterum deeſſe. Quid ergo dicemus? quòd vtique primum illud neceſſe fuerat memorari, quemadmodum ex Dauid Virgo deſcenderit. Vnde hoc itaque diſcemus? Audi ad Gabriel loquẽtem Dominum: vade ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph, ex domo & familia Dauid. Quid vis audire manifeſtius, cùm ex domo & familia Dauid illam Virginem eſſe cognoſcas?

℟. *Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

℣. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.*

Lectio vij.

NOn erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fœminas texere. Vt ergo & morem cuſtodiret, ne in ipſo ſtatim principio videretur antiqua deſtruere; & nobis Virginem certius indicaret; parentes eius reticẽs, atque maiores, de Ioſeph generatione non tacuit: ſiue enim hæc feciſſet in Virgine, nouitatis non effugiſſet inuidiam; ſiue Ioſeph reticuiſſet, non agnoſſemus ex qua tribu Virgo ſubſiſteret. Vt ergo & nos diſcerneremus, quæ eſſet Maria, vel vnde, & conſuetudo legis permaneret immobilis; generationum catalogum vſque ad ſponſum eius perduxit, ac de do-

domo illum Dauid eſſe monſtrauit.

℟. *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima. Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.*

℣. *Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Chriſtus.*

Lectio ix.

HOc enim declarato, illud quoque pariter oſtendit, quòd ſcilicet inde eſſet & Virgo; quia vtique nequaquam iuſtus iſte pateretur vxorem ſibi aliunde, quàm vnde lex præcipiebat, eligere. Poſſumus verò aliam quoque & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermiſſi ſunt: ſed quæ ea eſt? Noluit Euangeliſta, recenti adhuc tempore, noui illius, admirandique partus, Iudæis eſſe manifeſtum, quòd Chriſtus natus fuiſſet ex Virgine. Neque proprius noſter hic ſermo eſt, ſed à nobis de Patrum, atq; inſignium virorum traditione ſuſceptus.

Te Deum &c.

In Laudibus commem. feriæ & S. Euſebij & in ſecundis Veſper. feriæ tantùm.

Hymui eiuſdem metri terminantur, Ieſu tibi ſit gloria &c. *tàm in Officio Conceptionis, quàm Dominica, & feſtorum infra Octau. occur.*

Ad primam loco ver. Qui venturus es in mundum, *dicitur*, Qui natus es de Maria Virgine, *etiã in Dominica & feſtis infra Octau.*

Dominica infra Octauam fit Officium de ea Dominica Aduentus, qua occurrerit cum commem. oct.

Con-

Concept. & ſi venerit infra octau. S. Franc. Xauer. etiam cum commem. illius, nō dicuntur preces ad Cōpletorium, neque ad Primam: in qua tamen recitantur omnes Pſalmi Dominicæ, & ſymbolum Quicunq; &c. *Miſſa de dicta Dominica, ſine* Gloria, *ſecunda Oratio de oƈtaua Cōceptionis, & ſi occurrerit infra octauā Sancti Franciſci Xauerij, de ea dicenda erit tertia Oratio, cum* Credo, *& Præfat. de Beata Maria*, & te in Conceptione, *Benedicamus Domino, color violaceus hac die, in reliquis diebus infra octauam color albus, & in Miſſa* Gloria, Credo, *Præfat. de B. Maria, & Ite miſſa eſt.*

Si feſtum Conceptionis occurrat in Dominica ſecunda Aduentus transfertur in primam diem non impeditam: & in ſecundis Veſp. Dominicæ, quando in ſequentem diem transfertur, fit de Conceptione cum commem. Dominicæ, & in ſecundis Veſp. Conceptionis fit commemorat. octauæ S. Franciſci Xauerij. ut in primis Veſp. feriæ, & S. Melchiadis; Sabbato vero proximè ſequenti, quia dies octaua Conceptionis non transfertur, neque de ea fieri poteſt officium, niſi per ſolam cōmemorationem in Dominica; Ideò in primis Veſp. Dominicæ tertiæ dicuntur Antiphonæ, & Pſalmi de Sabbato, ſcilicet Benedictus &c. *Capitulum, & cætera de Dominica tertia, & poſt Orationem Dominicæ fit cōmem. de die octaua, ut in primis Veſperis feſti: Deindè Sancti Euſebij* Epiſc. *& Mart. Pſalmi in Matutino & laudibus, ut in Pſalterio die Dominica; cætera ut in Dominica tertia Aduent. In Laudibus fit commem. octauæ Conceptionis, & S. Euſebij.*

Non

Non dicuntur preces ad Completorium, neque ad Primam, in qua tamen dicuntur Pſalmi conſueti cum ſymbolo Quicunque.

Miſſa de eadem Dominica ſine Gloria, cum commem. octau. & S. Euſebij Credo, & Præfatio de B. Mariæ & te in Conceptione, *Benedicamus Domino. Color violaceus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google